

DE RHACHITIDIS ORIGINE
ATQUE NATURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

ANNUENTE INCLYTISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE CAESAREA
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO


LOCO CONSUETO

PUBLICA DEFENDET

AUCTOR

JOANNES BURCHARDUS SIELMANN
WENDA-LIVONUS.

DORPATI LIVONORUM,
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI
MDCCCXXII.



I n p r i m a t u r,

conditione tamen, ut, simulac typis excusa fuerit dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum censura mandata est, tradantur.

Dorpatii Livonor. d. xxvi. Mens. Maji.

MDCCCXXII.

Dr. Ludovicus Emil Cichorius,
h. t. Decanus.

D 126 40

Nostris praecipue temporibus, accuratiori proprietatum, quae parvulorum organismo insunt, studio et cognitione diligentius atque subtilius depicti et illustrati sunt multi ejus morbi, ut satis probant clarissimorum virorum scripta e. g. Hufelandii, Gölsii, Heimii, Formeyi aliorumque, atque inter omnes medicos nonne constat, nonnisi accurata illarum proprietatum explicatione, ad rectam cum naturae tum curationis horum morborum cognitionem, nos pervenire posse. — Ad hujusmodi morbos rhachitis quoque pertinet, cujus natura, quamvis haud pauci eam explicare studuerint, tamen non satis explorata esse videtur. — Quamobrem, cum mihi doctoris medicinae dignitatem appetenti, materia ad scribendum apta eligenda esset, de rhachitide agere constitui. — Cui proposito, si iudicii mei immaturitas, viriumque juveniliū tenui-

tas impares esse videantur, I.L. BB, quorum examini hasce studiorum primitias subijcio, etiam atque etiam rogo, ut magis ea, quae praestare voluerim, quam quae re vera praestiterim, humane respicere velint. —

§. I.

De rhachitidis vetustate, e. c. an Hippocraticis viris et Galeno jam cognita fuerit, multum disputaverunt medici omnium seculorum, magnaque hac de re exorta lis est. Glisson, qui primus hujus morbi historiam 1) digessit, (ante eum jam Arnoldus de Boot 2) et Theophilus de Garanciers 3) de hoc morbo sed leviter egerant) rhachitidem triginta circiter annos ante librum suum editum, primum in Anglia apparuisse, contendit; sed argumenta, quae auctor pro sua sententia protulit, nobis quidem satisfacere non possunt. Etenim in Hippocraticorum virorum 4) et Galeni 5)

-
- 1) Tractatus de Rhachitide s. Morbo puerili rikets dicto. Lond. 1650.
 - 2) Observationes med. de affectibus omissis cap. 12 de Tabes pectorea. Lond. 1649.
 - 3) Flagellum Angliae s. tabes anglicana numeris omnibus absoluta. Lond. 1637.
 - 4) Hippocrates de dentitione et de articulis. Aphor. Sect. 6. Aph. 46.
 - 5) Galeni comment. in Hipp. lib. de articulis et de differentiis febr.

operibus loca permulta reperiuntur, quae totius morbi imaginem licet nobis non afferant, tamen singula rhachitidis symptomata iis cognita fuisse, atque morbum iis jam temporibus existisse satis testentur. — Sub seculi superioris exitum multi scriptores e. c. Zeviani 6), Cullen 7), Trnka de Krzowitz 8), Cappel 9) alii, morbum jam ante Glissonium adfuisse multis argumentis probaverunt et Glissonium cum iis, qui ejusdem sententiae erant, refutaverunt. — Mirandum certe est, rhachitidem ante Glissonii aetatem adeo praetermissam et plane neglectam, post librum autem ab auctore nostro editum, in omnibus terrae partibus saepissime observatam esse. — Quod primum attinet, ejus neglectio, tum ex manco inconditoque, qui tunc temporis erat totius artis medicae statu, tum ex negligentia non excusanda, qua medici veteres omnes par-

-
- 6) Zeviani della cura de Bambini attaccati della rhachitide Veroni 1761. cap. 2. pag. 15.
 - 7) Cullen's Anfangsgründe der praktischen Arzneiwissenschaft, aus dem Englischen. Leipzig 1784. S. 1658.
 - 8) Historia rhachitidis. Vindob. 1787. p. 7—22.
 - 9) Versuch einer vollständigen Abhandlung über die englische Krankheit. Berlin 1787. 1. Theil. pag. 13.

vulorum morbos tractabant, praecipue autem, ut ex moribus ita etiam ex pravis veterum opinionibus et iudiciis protecta est. — Graeci enim et Romani, parvulos infirma valetudine laborantes aut deformes vel exponebant vel interficiebant, postea autem populi christiani, eos a diabolo obsessos, magicisque artibus incantatos esse, credebant 10) et pro irae divinae signo habebant; fuerunt etiam, quod vix credibile dictu est, qui eos, tamquam ex diaboli stirpe progenitos, necandos esse docerent 11). — Cum igitur non ad medicos, sed ad artes magicas et incantamenta confugerent parentes, miseris parvulis nullum afferebatur auxilium rarissimeque morbus profligabatur. — Quod autem post Glissonium demum hic morbus tam saepe observatus est, factum est libro Glissonii, quippe quo primo medicorum attentio et studium ad eum converteretur. — Similia exempla nostris temporibus non raro invenimus. —

§. 2.

Rhachitis infantum morbus, in eo consistit, quod turbata normali corporis evolutione, materiae nervae

10) Cappel l. c. pag. 17.

11) Dr. Luther's Lischreden. Eisleben. p. 268.

in cerebri systemate formatio contra normam augetur et inde aliorum corporis systematum praecipue ossium evolutio impeditur. —

Initio morbus variis symptomatibus, animi praecipue affectionibus, manifestatur. — Parvuli hilaritas et alacritas evanescit, segnis, tristis et morosus fit, atque nullam amplius voluptatem ex oblectationibus et exercitationibus aetati ipsius propriis capit. — Incessus est vacillans, impeditus, omnesque corporis motus, qui magnam ei molestiam afferre videntur, evitare studeat. Digestio nonnunquam perturbata, saepius vero aliquamdiu illaesa est. — Corpusculo diligentius explorato, haec sensim sensimque apparent signa: Capitis moles, si cum aliis corporis partibus praecipue extremitatibus comparatur, modum normalem excedit, ut Glisson 12) jam affert; accedit quod vasa caput potentia solito capaciora fiunt, quod in anatomico rhachiticorum a multis medicis observatum est. — Prominet frons, ossium bregmaticae suturae discedunt nec fonticuli ossificatione aucta clauduntur, sed contra magis aperiuntur, omniaque capitis ossa tenuiora redduntur. — Abdomen admodum tumescit atque extenditur, imprimis regio hypochondriaca dextra, quod signum sem-

12) l. c. cap. II. pag. 10.

per adesse jam Glisson 13) monet. Musculi corporis sunt macri, debiles, languidi, praecipue in extremitatibus, non sufficiunt colli vires ad caput permagnum, in hoc inclinatum, sustinendum. — Cutis totius corporis pallida, sicca et laxa; facies nunquam tumida, deformata, tristitiam et senilis aetatis quandam speciem prae se fert. — Dentes tempore solito, vel contra normam vel omnino non erumpentes mox carie affecti excidunt; tum ossium epiphyses et vertebrae dorsi tumescere incipiunt. — Quibus cum symptomatibus, aucta encephali magnitudine, animi facultatum et sensuum, praecipue auditus et visus evolutio praematura conjuncta est; facile hac de causa animus rhachiticorum movetur, mirabilique ingenii et sensuum acumine pollent. — Cum morbus ad altiorum gradum pervenit, affectiones systematis ossium, quae mollitiem eorum indicant, magis magisque apparent, et ab hujus systematis vitiosa conformatione, magna rhachiticorum deformitas proficiscitur. — Crescit calvariae ossium tenuitas et mollities, quibuscum magnae pectoris, pelvis, spinae dorsi et extremitatum formae mutationes cohaerent. — Thoracis cavum, partim laterum ejus depressione, partim spinae dorsi curvationibus coarctatur. — Ibidem co-

starum convexitas minuitur, fines earum sternales tumescunt et nodi ibidem nascuntur, unde pectus valde protruditur, acuminatur et ita structuram illam singularem pectori gallinae similem, jam a Glissonio depictam, assumere potest. — Varias porro existunt spinae dorsi curvationes, ut scoliosis, cyphosis et lordosis; neque minus multae pelvis distortionibus extremitatumque et superiorum et inferiorum magnae deformitates e diversa musculorum actione nascuntur. — Et reliqua cum his crescunt symptomata. — Dum capitis et abdominis atque in hoc praecipue hepatis, quod munere suo, bilis nimirum secretionem, non amplius fungens, sanguinem vasis portarum id petentem sibi assimilat, moles augetur, reliquae corporis partes praecipue extremitates macescunt, unde horribilis iste et deformis parvulorum adpectus progignitur. — Respiratio, partim aliorum organorum vi adhaerens, partim thoracis deformitatibus et hepatis tumore, impeditur, quo fit ut miseri parvuli magna laborent spirandi difficultate. — Musculis eorum laxioribus flaccidioribusque redditis, movendi facultas magis languet, ita ut magis magisque in dies ab omni motu abhorreant aegroti. — Sanguis, imminuta arteriositate, segenius tardiusque per vasa serpit. — Digestio nunc valde perturbata, et ardenti cibi aviditate et alvi excretionibus enormibus modo retardatis, modo, quod saepius accidit, auctis et ciborum indigestorum emis-

13) l. c. pag. 270.

sione cernitur. — Tumescent nonnunquam glandulae mesentericae, praeter regulam evolvuntur eoque modo ad abdominis magnitudinem augendam confluunt. — Urina turbida, mucosa, de nonnullorum auctorum sententia acidulum spargit odorem 14), atque sedimentum habet glutinosum et caseo simile; alii sal ammoniacum 15) et recentiores scriptores calcem phosphoricam partes praecipuas esse contendunt; quod quidem accuratius examinandum est 16). — Mox praematura et animi facultatum et sensuum evolutio in stupiditatem vel paralytin manifestam transit, saepissime etiam hydrocephalus adest. — Ossa emollita carie afficiuntur, thoracis et abdominis cavum occupat aquosa colluvies, pulmones plithisi purulenta consumuntur, atque ita, vel viribus tabescentibus et febre hectica accedente, vel convulsionibus ex systematis nervorum perturbationibus exortis, vita miserrima finitur. —

14) Die specielle Therapie von G. A. Richter. Bd. 4. pag. .

15) Diss. nonnulla de Rhachitide auct. Leidenforst. pag. 16.

16) Dictionaire des scienc. med. Paris 1820. Tom. 46. pag. 573.

§. 3.

Neque tamen rhachitis semper morte, sed interdum etiam adjuvante natura et arte, quae tantum vires perniciosas amovere potest, prospere finitur. — Faustus morbi exitus, restituta sensim sensimque functionum prae ceteris turbatarum norma, indicatur. — Digestio et nutritio meliores evadunt, abdominis extensio evanescit, cutis turpem colorem amittens majorem accipit turgorem, ossa quamvis flexus suos plerumque retineant solidiora fiunt; caput tumescere desinit, fonticuli clauduntur, musculi firmiores redduntur, expeditiores fiunt motus et extremitates proportionem reliquis corporis partibus magis congruentem adipiscuntur. — Vigor animi exauctus plerumque remanet unde in gibberis semper fere eximiae animi facultates observantur. — Nonnunquam morbi nervorum e. g. convulsiones et epilepsia insequuntur, ac raro tantum, qui ex hoc morbo recreantur, ad senectutem perveniunt. — Decursus morbi diuturnus est; a sexto enim aetatis mense usque ad secundum annum durat et ita dentitionis tempus, quo evolutiones maximi momenti contingunt, occupat. — Saepissime vero rhachitis tantum ad dentium mutandarum tempus terminatur, diutius tenenti morbo parvuli plerumque succumbunt. — Incipiente autem pubertate, vehementissimis symptomatibus celeriter amotis, incredibilia nonnun-

quam efficiuntur, si vero etiam tuum morbus non cessat, nulla certo salutis spes superest. —

§. 4.

Quam symptomatum rhachitidi priorum seriem contemplant, ut gravissima offeruntur haec: 1) nimium capitis incrementum simul cum afflicta nervorum conditione 2) abdominis et maxime hepatis tumor 3) macies musculorum et debilitas 4) ossium formatio turbata 5) denique ad praecipuas rhachitidis proprietates pertinet, quod dentitionis tempore exiit, in ceteris evolutionis periodis evanescit. — Attamen omnium istorum momentorum concentus tantum rhachitidem constituere potest. — Ossium affectioni, gravissimo illi quidem symptomati, quippe ex quo deformitates maxime sub oculos cadentes oriuntur, omni tempore ceteris posthabitis, medici maximum tribuerunt momentum. — Hinc autem profecti sunt tanti in hujus morbi generibus statuendis errores, ut e. c. apud Portalium, hinc diversae quae fingebantur ejus affinitates, ita ut rhachitidem peculiarem esse morbum negarent, hinc denique discrepantes morbi ab una tantum parte considerati definitiones. — Ac morbosa ossium affectio in tota phaenomenorum malum comitantium serie nonnisi symptoma est, quod igitur, si sufficiens totius morbi definitio proponenda

est, nequam solum respici debet. — Quae vero inter symptomata illa conjunctio sit infra videbimus. —

§. 5.

Quod supra diximus, rhachitidem tantum parvulorum esse morbum, eo quod etiam in adultis reperiri eam dicunt, refutari videtur; quare hoc diligentiori eget explicatione. — Quodsi omnes ab Glissonii usque ad nostra tempora observationes, secundum quas semper fere rhachitis apud parvulos tantummodo reperta est, adultorum rhachitidem suspectam reddunt et nos inducunt, ut, hunc in adultis morbum omnino alium et infantum rhachitidi aliqua tantum ex parte similem esse, arbitremur, quod magis etiam elucescit phaenomenis in utroque morbo comparandis 17) — Neque in adultis sanguinis ad cerebrum impetus observatur, neque capitis moles crescit, neque vultus lineamenta mutantur, neque sensus animique functiones anguntur. — Ossium mutationibus vehementes in iisdem dolores antecedere solent, qui motus difficiles reddunt, atque adeo eos prorsus impediunt. — Nec abdomen, cum hepar integrum maneat, intumescit; glandulae nonnunquam male affectae sunt. — Nulla porro macie labefactatur corpus, atque ipsa ossium affectio diversa est. — In parvulis enim ossa tumes-

17) Dictionaire l. c. p. 578.

cere, molliora et hinc flexibilia fieri videmus, in adultis vero magis fragilia quam mollia fiunt ossa, neque universum ossium systema infestatur. — Quibus igitur symptomatibus cum prioribus comparatis, quantum inter se morbi ipsi discrepent facile est intellectum. — Morbi in uno tantum symptomate neque in hoc quidem omnino congruentes, quomodo pro iisdem haberi possunt? — In quo etiam si congruant, tamen non est, quod parvulorum rhachitidem et adultorum, uno tantum symptomate morbum neutiquam constituente, eandem esse censeamus. — Quis quaeso est qui luem, veneream et scrophulas, quod in utrisque ossa cariosa fiant, unum eundemque esse morbum contendat? Hinc ipsum cadit in ossium mollitiem parvulorum et adultorum. — Si parvum exemplorum ab auctoribus notatorum numerum respicimus, alios plerumque subfuisse morbos animadvertimus. — Et haec credo aptissima est ratio, qua istud adultorum malum consideremus. — Sic e. c. in iis, qui circa vigesimum annum hoc morbo afflicti erant, syphiliticam vel labem aliquam a scrophulis quibus homo prioribus aetatis annis affectus fuit, relictam adesse, demonstrari poterat, Quod profecto locum habet in eo aegroto de quo Fries 18) refert, qui rhachitide laborare putabatur,

18) Diss. de emollitie ossium auct. Fries. V. Cappel l. c. pag. 49.

quamquam sectio eadaveris alia adfuisse vitia manifeste ostenderat. — Huic ossium vitio a tricesimo usque ad quinquagesimum aetatis annum observato 19), plerumque arthritis subesse videtur, unde Bohn 20) rhachitidem quandam arthriticam statuendam esse censet, quam scilicet terrae calcariae phosphoratae ex ossibus in articulos migratione explicat. — Similes invenimus observationes apud Morgagnium 21) et Portaium 22). — Saepè a cancro quaedam depravatione derivandus est morbus, quod in senibus non raro accidit, et idem in feminis systematis genitalis anomaliis conjunctus reperitur. — Sed praecipue rhachitidem morbum parvulis proprium esse, vel ex eo patet, quod cum evolutionibus quae infantili aetate fiunt, arctissime cohaeret, de qua re infra plura dicentur. —

19) Burggraf, De aëre et loco urbis Francofurti. pag. 141. — Diction. d. s. m. l. c. 577.

20) Hufeland's Journal der ausländ. med. Litteratur. Bd. I. p. 81.

21) De sedibus et causis morborum. Lib. IV. Epist. Ant. LVIII. art. 7.

22) Beobachtungen über die Natur und Behandlungsart der Rhachitis oder der Krümmungen des Rückgrats und der obern und untern Extremitäten, aus dem Französischen. Weisfuß's u. Leipzig 1798.

§. 6.

Magna inter doctos contraversia fuit, an rhachitis congenita sit nec ne; varia in hac quaestione prolata sunt argumenta et in utramque partem disputatum est. — Nos tantum videamus, quid hac de re nos doceat experientia. — Glisson 23) primus ejusmodi exemplum commemoravit: Testatur, inquit, aliquis nostrum (tribus nimirum ex octo medicis collegii medicorum Londinensium sociis, Glissonio, Batio et Regemortero, tradita erat provincia, ut in ordinem redigerent illa, quae communibus omnium suffragiis de hoc morbo probata essent et dein typis divulgarent) „se semel et semel tantum vidisse puerum recens natum, hoc morbo afflictum. — Atque in eo spina dorsii et collum adeo debilia, ut nulla ratione voluerint grandisculum caput sustinere. — Obiit hic intra tres menses post partum.“ — Cum Glisson, neque alia amplius protulerit signa, neque ipse morbum observaverit, an re vera ille rhachitis fuerit, recte dubitatur. — Aliud affert exemplum Storch 24), sed illo rem nullo modo probasse videtur. — Aliud ejusmodi exemplum

23) l. c. pag. 172.

24) *Abhandlung von den Kinderkrankheiten. Eisenach* 1751. Bd. 3. pag. 255

describitur a Kleinio 25) quod quidem aptissimum est, et nuperrime Romberg 26) de duobus narravit parvulis rhachiticis, quorum alterum novem demum post partum hebdomades inspexerat, alterius vero tantum sceleri figuram descriptione explicavit. — Sed multi auctores et veteres et recentiores rhachitidem omnino in-nasci non posse affirmant ut Winkler 27), Boerhave 28), Cappel 29), Jevian 30), Girtanner 31), Malfatti 32), qui tantum peculiari quadam morbi ipsius contemplandi ratione nititur, sic complures alii. — Praeterea multi clarissimi medici eandem nunquam se observasse profiterentur, uti Switen 33), Frank 34), Haas 35), Hen-

25) Diss. sistens casum rhachitidis congenitae. 1765.

26) Diss. de rhachitide congenita. Berol. 1817.

27) De atrophia infantum ex laete corrupta. 1728.

28) Hermanni Boerhavi Aphorismorum lib. aph. 1481.

29) l. c. pag. 43.

30) l. c. pag. 20.

31) *Abhandlung über die Krankheiten der Kinder* etc. Berlin 1724. pag. 500.

32) Entwurf einer Pathogenie aus der Evolution und Revolution des Lebens. Wien 1809. p. 55.

33) Comment. in Her. Boerhavi Aphor. p. 585. Tom. V.

34) *Ueber Erkenntniß und Kur der chronischen Krankheiten*. 3. Bd. pag. 424.

35) *De curandis hominum morbis Epitome*. Lib. VI. p. 250. 1805.

ke 36), alii. — Cum igitur exiguus tantum exemplorum numerus sit, eorumque parum accurate narratorum, et cum nullae adjectae sint sectionum descriptiones, haec profecto non sufficiunt, ut morbum illum innasci posse statuamus. — At saepissime alii morbi, imprimis hydrocephalus, non satis distincti sunt a rhachitide in quem errorem Glisson quoque delapsus esse videtur. — Sic etiam extremitatum spinaeque dorsi curvationes utpote formationis vitia, situ quodam pravo effectae esse possunt, in nulla enim istorum exemplorum descriptione ossa nimis flexibilia et tumefacta fuisse narratur. — Romberg parvuli cum rhachitide, ut ipsi videtur, nati descripsit sceletum, cuius caput quidem permagnum erat et ossa reliqua quamvis magnitudine numero et forma modum excedebant, ceteroquin ad naturae leges formata erant. — Sed quomodo haec rhachitis congenita nominari potest? Equidem vero utrum rhachitis congenita statuenda sit nec ne, dijudicare nullo modo ausim, atque rem, donec exemplorum accuratius et diligentius descriptorum copia satis aucta fuerit, in medio esse relinquendam censeo.

§. 7.

Causae quae rhachitidem progignere dicuntur, plu-

36) Handbuch der Kinderkrankheiten. 2te Ausgabe. 2. Theil. pag. 240.

rimae maximeque variae nunc nobis considerandae sunt, et ita quidem, ut rationem qua morbum progignunt, potissimum respiciamus. — *Momentis internis*, quae ad hunc morbum producendum conferunt, imprimis parvulorum aetas ejusque evolutiones adnumerari debent, quae, quoniam non nisi ex eorum turbatione malum nasci potest, diligenter imprimis explicandae sunt. — Sed de his postea dicemus. — Saepissime proclivitas ad rhachitidem a parentibus in liberos propagatur, nam omnium temporum observationes in eo conveniunt, praecipue eos infantes hoc morbo affici, quorum parentes infirmae omnino erant constitutionis, vel cachexiis ut scrophulis, syphilide, scorbuto, phthisi etc. laborabant, neque minus eos, qui a parentibus vetulis vel licentiori vita debilitatis procreati sunt. — At vero num morbus, ut alii affirmant, alii negant, sola ista ad eundem proclivitate, hereditatis via propagetur, nondum exploratum est. — Annon etiam potius proclivitas illa congenita in ratione inconcinnata, quam systema cerebrale ad reliquum corpus habeat, posita sit? Etenim observationes Storchii Riolani 37) et e recentioribus Kreysigii 38) opi-

37) Storch Abhandlung von den Kinderkrankheiten etc. pag. 241.

38) System der praktischen Heilkunde. 2ter Band. 1819. pag. 524.

nio hoc affirmare videntur, quorum priores, ex iausitata capitis recens natorum magnitudine, rhachitidem serius insecutam praedicebant. — Manifesto hoc probatur exemplis a Buchnero 39) memoriae proditis. — Mater quaedam scrophulis laborans ipsi innotuerat, cujus undecim liberi fere omnes rhachitide affecti in summo ejusdem fastigio, alii vero isto malo carentes, convulsionibus vexati, tenera aetate mortem obierunt. — Illi etiam opinioni, observatio liberos a parentibus non solum rhachitide, sed etiam scrophulis aliisque morbis afflictis, procreatos cum hac proclivitate nasci nequaquam repugnat, vitiosa enim formatio ex qualibet vitiosa corporis affectione proficisci potest. — Sed haec nonnisi in conjectura posita sunt praesertim quum origo morbi cum nimis sensibili corporis constitutione, proclivitatem procreante, congruat, quae ubi adest, eo facilius nervorum systematis centrum praevalere potest. — Major autem sexus muliebris ad hunc morbum proclivitas, quam alii ut Glisson stauerunt alii e. c. Trnka de Krzowitz 40) et Rosen-

39) Diss. de Rhachitide perfecta et imperfecta Argent. 1754. Vid. Halleri Disputationes med. T. VI. pag. 292.

40) l. c. pag. 148.

stein 41) negaverunt subtiliori minusque firma muliebris constitutione explicari potest.

§. 8.

Magnus est numerus *momentorum exteriorum*, si quidem ad eum omnes res nocentes referantur, quae lactentium evolutionem impedire vel omnino inhibere, possunt. — Inepta parvuli curatio diactetica, imprimis mala nutritio ex mammis hausta, illarum rerum gravissima est et creberrima, quae aut imbecillitate matris ipsius infirmaeque ejus valetudini, et lacti inde parum alibili, aut nutrici cujus lac bene licet paratum, parvuli tamen aetati non convenit, potissimum est impetanda. — Quorum postremum maximi momenti est, nam lactis qualitas, donec seceratur, novam semper experitur mutationem et lactentis incremento semper accommodatur. — Nonnunquam autem recens nato, aliud etiam praebent, quam ex mammis ei debetur, alimentum cui tamen nulla vis damnosa inest, si modo maxima cum diligentia munditiaeque paratur; satis enim experientia docet, permultos parvulos, nullis evolutionis functionibus turbatis, tali modo alitos esse. — Sed ut nutrimentorum qualitas, sic etiam quantitas nocere potest. — Etenim si parvuli nimia cibi copia

41) Anweisung zur Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten. Herausgegeben von Foder. Göttingen 1798. pag. 387.

implentur, quod apud homines de plebe fieri solet, non minora existunt incommoda, quam ex tenui alimento, parumque alibili. — Huc porro cutis neglectio pertinet, quae quidem nisi lintea parvulorum purgantur, nec balnea et lavationes saepe instituuntur, organismo eo magis nocet, quo plus, secundum leges naturae, in eodem cutis resorptio exhalationem praeponderat. — Magnam praeterea coeli natura vim habet, ad rhachitidem excitandam. — Cujus enim cum magna vis sit ad conformandam corporis humani figuram atque speciem, et mira inde in hominum formatione varietas proficiscatur, tum praecipue humida frigidaque maritima loca, ubi nebulis aliisque vaporibus pestiferis, aër semper impletus est, ad functiones in toto corpore cohibendas, itaque maxime ad rhachitidem producendam, conferunt. — Hinc in Anglia, Batavia, Dania, septentrionali Germaniae parte et in aliis palustribus aquosisque terris, hic morbus praecipue grassatur et endemicus habendus est. — Sed etiam urbes majores, quarum aër incolarum multitudine et compluribus aliis rebus, quae vapores pestiferos emittunt, corruptus est, eidem malo obnoxiae sunt. — Accedit quod, victu cultuque hominum in urbibus habitantium nimis expolito, vel potius depravato, parvuli imbecilliores, ideoque ad morbos procliviores in lucem eduntur. — Nonnulli etiam scriptores, ex opii abusu in parvulis istud malum ori-

ri, observarunt. — Neque minus morbi quidem antecedentes, ut tussis continua, morbilli, variolae, s abies, tussis convulsiva, haemorrhagiae, vehementer corpore debilitando et nutritione imminuenda, evolutionem turbant et sic rhachitidis causam haud raro injiciunt. — Pariter denique nocet stulta psychica parvulorum tractatio; sunt nimirum parentes, qui perversitate ridenda, liberos tenera jam aetate, elegantibus adulescendos esse moribus, credant atque adeo, primi anni exitu poenis eos afflicere, incipiant, non cogitantes, debiles parvulos, nonnisi acuto clamore quod optent quodque patiantur, exprimere posse.

Omnia haec, quae enumeravimus, momenta, eo quod totum corpus debilitant ejusque receptivitatem augent ad rhachitidis originem conferunt. — Corpus enim tali modo affectum, non satis praeparari potest ad evolutionem sequentem quae cum dentitione incipit; hac autem turbata, morbus adest.

§. 9.

Sicut primo, quo hic morbus magis innotuit, tempore, ita etiam nostra aetate, permultae de rhachitidis natura exstiterunt sententiae, quarum eas tantum enarrare placet, quae et gravissimae videntur et maximum aequalium assensum tulerunt. — Sententiae ab antiquissimis auctoribus traditae, cum statu totius istorum temporum artis medicae conveniunt, nec satis exaltatae sunt, neque ad rem accomodatae. — Quod

etiam in Glissonii, abs quo incipiendum videtur, sententiam cadit, quamvis, si ad diagnosis, causas, aliaque morbi momenta respicimus, laudatam contemnenda et factorum et observationum copia in ejus libro vel ideo lectu dignissimo contineatur. — Rhachitidis natura tali modo a Glissonio 42) explicatur: adest malus frigidus humidusque corporis status, cum spirituum vitalium in partibus primo affectis internis inopia et atonia. — Vasis ideo frigore contractis, nonnullis corporis partibus ex. c. medullae spinali et nervis inde originem ducentibus et extremitatibus quas nervi petunt, minor affertur sanguinis quantitas, aliis autem, quibus hic frigidus supra nominatus status deest, major et ita inaequalis nec cum proportione conveniens nascitur nutritio. — Paulum ab illo dissentit Mayow 43) de cujus sententia perversa et inaequalis corporis nutritio redditur, si, medulla spinali tenacibus viscidisque humoribus obstructa, spirituum animalium secretio et libera eorum circulatio impediuntur. — Postea et alii scriptores Mayowii sententiae accesserunt, ut Dolaeus et Waldschmidt 44). —

42) Glisson. l. c. cap. 4 seq.

43) Thesaurus medico-practicus etc. auct. Bonnet, Genév. 1691. Tom. III. p. 673.

44) Encyclopaedia med. theoret.-pract. L. VI. cap. 13. p. 734. V. Bonnet l. c. p. 674.

Simili prope modo Fr. Hoffmann 45) de morbi natura judicavit qui his verbis sententiam suam extulit: „Non possumus non causam hujus affectus proximam, „in impedito succi nervi in medullam spinalem, vel „compressam vel obstructam influxu reponere, unde „necessario earum partium omnium, ut brachiorum „pedum etc. perit nutritio, quae nervos ex medulla „spinali recipiunt, contra vero illae plus nutriuntur „quae vias habent apertas et sufficientem succi nutritivi „admittunt copiam.“ — Ita denique Stahlii sectatores 46) inaequalem partium organicarum nutritionem principii vitalis aberrationi imputabant. Omnes auctores quos adhuc citavimus, malam praecipue extremitatum nutritionem et capitis abdominisque incrementum respiciunt, quae symptomata, pro diversis quibus addicti erant scholis, explicare student. — Ita Glissonii sententiam ex Galeni theoria profectam esse nemo est qui videat. — Neque minus Fr. Hoffmanni, qui novam medicorum scholam condidit, sententia, reliquis ejusdem auctoris de rebus medicis sententiis accomodata est. — Cum enim ex ejus disciplina, materiae motus, omnium in natura organica phaenomenorum causa et fons sit, ille autem, ut in corpore

45) Supplementum medicinae rationalis ad Fabr. III. Genév. Cap. IX. de Rhachitide. §. 4.

46) Storch l. c. p. 258.

humano rite procedat, succo quodam nerveo efficiatur, in medulla spinali, quippe ex qua nervi extremitates petentes oriantur, morbi causam quaerendam, eamque igitur vel obstructam vel compressam esse, censebat. — Quoniam principia in quibus eorum explicaciones nituntur, jam pridem refutata sunt, novis argumentis eas redarguere non adinet; ceterum, nec obstructionem, nec compressionem medullae spinalis veris probarunt argumentis, sed tantum talibus, quales ex eorum de hoc morbo opinionibus sequebantur.

§. 10.

Magnopere insequentis temporis medicorum sententiae de natura morbi, inter se discrepant, et cum plerumque singula tantummodo symptomata spectarent, multum abfuit, ut indolem et naturam ipsam hujus morbi explicarent. — In his primo loco Boottii 47) mentio fiat, cujus opinio postea praecipue a Bonnetio 48) rursus suscepta et magis explicata illustrataque est. — Ex hepatis vitio, morbum oriri censebant. — Aucta scilicet ejus mole, thoracis cavum angustatur, forma ejus mutatur et pulmones comprimuntur, unde febris hectica, corporis debilitas et macies nascitur. — Auctorem nostrum in eo, quod singulum symptoma pro causa proxima habuerit, valde a vero aberrasse,

47) L. c.

48) L. c. pag. 671.

cumque, partim magnis thoracis deformitatibus non raro observatis, partim palustri suppuratione, qua rhachitici parvuli plerumque sub nomine morbi afficiuntur, in hunc inductum esse errorem, apparet.

In eodem errore versatur ille, qui in obstipatione et obstructione totius abdominis (accuratius enim sententiam suam non aperit) morbi causam ponit, eadem qua illi ratione, infractem delapsi. Ad horum numerum ad scribendi sunt Junker 49), Sydenham 50), Harris 51), Heister 52). Alii vero exsisterunt, qui vel acrimoniam syphiliticam, vel specificam, vel statum humorum pituitosum suspicantes, non nisi humorum rationem haberent. — Ita Lindenstolp 53) primus profitetur, causam proximam acronia quadam, quae omnia solvat et qualiscunque sit, tamen miasmata syphilitico simillima, contineri. — Sequitur Herrmannus

49) Diss. de rhachitide auctore Junker resp. Overbek. Halle 1759. p. 24.

50) Diss. de rhachi-ide vera. V. Miscell. acad. natur. curiosor. Dec. II. ann. X. 1691. p. 121.

51) De morbis acutis infantum p. 24. V. Trnka de Krzowitz l. c. p. 192.

52) Praktisches Handbuch d. Arzneiwissenschaft. 4te Ausgabe Leipzig 1793. pag. 459.

53) De venenis tractatus, pag. 718. v. Cappel l. c. p. 76.

Boerhaave 54): „Quare, dicit causa proxima mali cacochymia iners, mucosa, frigida, vapida, latente, forte leni labe venerea permista, cum laxa partium, summarum fabrica.“ Sed syphilitica rhachitidis origo quae exigua et parum accurata horum morborum cognitione nititur, jam a Switenio 55), qui et ipse Boerhaavii de hoc morbo opinioni simul cum J. Zach. Platneri 56) assentit, Cullenio 57) aliisque idoneis argumentis est refutata. — Quod ad alteram Boerhaavii sententiae partem pertinet haec illis convenit principis, quibus celeberrimus medicus addictus fuit, qui quamvis novae scholae conditor suae tamen aetatis vinculis se exsolvere non potuit. — Praecipue vero si ad ejus de acrimoniis doctrinam respicimus, tot commenta, tot ficta invenimus humorum vitia, ut, quomodo vir tanto ingenii acumine praeditus, talia excogitare potuerit, vix intelligamus. — Minime igitur, in pathogenia hujus morbi explicanda, sufficit ejus sententia, cum nominata humorum cacochymia, secundum nostram quidem corporis humani cogni-

54) Aphor. de cognoscendis et curandis morbis. Aph. 1488.

55) L. c. p. 614 ed. Aph. 1488.

56) Institutiones chirurgicae. §. 1070.

57) Anfangsgründe der praktischen Arzneiwissenschaft, aus d. Englischen. 4. Theil. p. 181.

tionem, existere omnino non possit, atque etiamsi possit, tamen proximam rhachitidis causam. quia ex illa, ut ipse docet Boerhaave, multi alii morbi a rhachitide maxime diversi originem ducere possunt, non explicet. — Accedit quod auctor non omnia morbi symptomata tali modo illustrare potuit.

Quemadmodum illi de quibus supra diximus ex syphilitico miasmate rhachitidem oriri censebant, ita alii in scorbuto proximam ejus causam se invenisse putabant. — Hoc loco prae ceteris Almeidae 58) sententiam afferre liceat, quam his argumentis confirmasse sibi videbatur: 1) eodem inquit tempore quo in Anglia, Batavia et Franco-Gallia rhachitis late vagari coepit, scorbutus quoque saepius observatus est. — 2) Multa esse utriusque morbo communia, velut dentium vitia, osteomalaciam, cibi cupiditatem non diminutam, viam mercurii nocentem, roborantem denique curandi methodum. — Sed si horum morborum originem et tempus, decursum eorum diversum, multorum aliorum, symptomatum differentiam, atque rhachitidem, in multis terrae regionibus ubi scorbutus nunquam fere apparet, saepissime observari, si igitur haec perpendimus, falsam esse hanc sententiam facile

58) Dissertatio de rhachitide. Lugd. Batav. 1785.

invenimus et cuique istum librum legenti, autorem, non rara horum morborum in oris maribus complicatione, ad concipiendam istam opinionem perductum, in mentem venit.

Buchner 5.) contra ex magna corporis atonia morbum deducit et argumentis, partim ex symptomatibus et causis, partim ex curandi methodo petitis, suam defendit sententiam. — Attamen ne ex his quidem peculiaris rhachitidis origo recte explicatur, quoniam ex illa corporis affectione multi alii nasci possunt morbi, atque praeterea Buchner vehementer in eo errat, quod omnia morbi symptomata soli tribuit atoniae.

Postea Selle 6.) specificam acrimoniam, cujus natura incognita esset, sed proxime tamen ad scrophulosam accederet, pro morbi causa habuit. — Recentiorum medicorum diligentia, veterum de acrimoniis opinionem sublata et revictam, melioribusque rationibus retractatam esse constat 6.), neque enim morbi nostri symptomatibus neque causis neque curandi methodo ad ejusmodi acrimoniam statuendam impellimur. — Atque etiam chemica sanguinis et aliorum humorum rhachiticorum, facta analysi, nil aliud effecerunt, nisi

5.) L. c.

6.) Medicina clinica. Berlin 1802. 4. *Ausg.* p. 235.

6.) Kreysig l. c.

ut, chemicum in vivo corpore statum a mortui valde diversum esse, novis argumentis firmarent. — Humorum enim in corpore mutationem accurate indicare non possumus, cum mixtio eorum semel vitiosa redita, tam multis diversisque rebus obnoxia sit. — Nil aliud nisi quantitas vel qualitas eorum mutata, et abnormis inde pendens reproductio assumendae sunt, quae vicissim, e conditione et fluidorum et vasorum, mixtioni inservientium, turbata proficiscuntur. — Itaque, si in mutationibus illis describendis, hos limites transgredimur et specificum aliquod in fluidis indagare studemus, periculum est ne meras conjecturas proponamus, atque in eundem quem veteres errorem inducamur.

§. II.

Sententiae modo expositae subjiciatur alia, illi conjunctissima, de acrimonia acida, utpote proxima rhachitidis causa, quam permulti, superiori seculo exeunte, assensu suo comprobabant et sequebantur. — Acida praecipuam plurium morborum quibus parvuli affici solent, esse causam, jam antea opinio fuit vulgo recepta, quamobrem, observator parum diligens acidum, in tractu intestinorum forte repertum, facile tanquam maximum et gravissimum symptoma, ad rhachitidem explicandam adhibere potuit. — Sic enim de hac re cogitabant: assumtis acidis nutrimentis vel iis quae facile transeunt in acidam fermentationem,

sordem quandam acidam pituitosam et viscidam oritur, quae ventriculi et tractus intestinorum membranas obducit et hebetet et una cum chylo sanguini adducatur; hanc inde acidam trahere naturam, cuius ope ossa solvat, et reliquas corporis partes corrumpat. — Argumenta quibus sententiam suam firmarent, partim in impeditae digestionis symptomatibus, in morbi causis et in his quae ejus originem adjuverant, partim in curandi methodo, cum illo tempore antacida plurimum parvulorum morborum curatio ubique ita recepta esset et pervagata, ut clarissimi medici eam sequerentur, partim denique in eo quod tantummodo infantes hoc morbo afficerentur, se invenisse opinabantur. — Experimentis autem impetitis a Ruyschio (62) factis, qui fetum in liquidum quoddam acidum immiserat et paulo post ossa corollata invenerat, istam sententiam manifesto probari putabant. — Similia instituerunt experimenta Robert, Herrissant, Scheel (63) alii, ex quibus chemia quidem maximam utilitatem capere potuit, medicina vero minimam. — Quod autem contradicitur: acidum in vasa sanguifera animalium immissum, sobitam afferre mortem, Cappel (64) eo dilui putat, quod acidum in rhachitide minutatim

62) Adversiones anatomicae. Dec. II. pag. 16.

63) Dictionaire d. s. m. l. c. pag. 603.

64) L. c. pag. 86.

admisceatur, ita ut corpus eidem paulatim advalescat. — Ad hanc sententiam praeter Cappelium multi alii accesserunt e. c. Rosenstein (65), Zeviani (66), Veirac (67) qui ambo in lacte materna acidi causam inesse voluerunt, Trnka de Krzowitz (68) qui solidarum partium laxitatem cum eo conjunctam esse contendit, Akermann (69), Wendelstaet (70) et complures alii. — Quae theoria jam eo revincitur, quod saepissime, nec digestionem turbatam, nec acidi praesentiam antehachitidis ortum deprehendimus, sed istud serius ex perturbatione totius systematis reproductivi oriri videmus; deinde etiamsi symptomata nominata praecedunt acidum tamen in parvulorum morbis tam saepe reperitur, ut, quare alias non item sugatur acidum et sic rhachitidem efficiat, demonstrandum sit; quod demonstrari nequit, quia haec ipsa tractus intestinorum perturbata functio, et acidi cum ea ortus, ubi rhachitide praecedat, pro momento non nisi occasione oblato, quod ad corpus magis debilitandum

65) L. c. pag. 7.

66) L. c. pag. 57.

67) Abhandlung über die Rhachitis. Stendal 1794. Aus dem Holländischen. pag. 20.

68) L. c. pag. 193.

69) Ueber die Kretinen. 1790. p. 78.

70) Hufelands Journal der prakt. Heilkunde. B. 12. S. 2. p. 121.

conferat, habendus est. — Quodsi haec conceduntur facile intelligitur, etiam alteram istius sententiae partem, quae haec acida a vasis lymphaticis recipi et ita ad sanguinem pervenire docet, ab emendata rectiusque constituta doctrina de nutritionis processu in corpore humano, prorsus abhorrere. — Ceterum experimenta tantum aquositatem, tenuitatem et dissolutionem sanguinis, sed non aciditatem ejus prodiderunt. — Neque universa morbi symptomata hoc modo illustrari possunt, atque imprimis, ut mollities ossium explicetur, eam excogitatum esse apparet.

§. 12.

Peculiarem et plane novam sententiam protulit Portal 71). — Rhachitidem singulare morborum genus esse negat his verbis: „Wirklich sieht man ohne „Noth, daß die Rhachitischen, deren in den Schriften „Erwähnung geschieht, nicht von dieser Krankheit „angegriffen worden waren, als erst nachdem sie vor- „her an denjenigen, welche sie gewöhnlich verursa- „chen, gelitten hatten; und wenn man bei einigen die „Ursache nicht hat entdecken können, so geschah es „deswegen, weil man sie vernachlässigte zu beobachten „als sie sich offenbarten, und weil sie durch äußere „Zeichen nicht ausgedrückt waren, um wahrgenommen „werden zu können.“ — Dividit igitur rhachitidem

1) in syphiliticam, 2) scorbuticam, 3) post exanthemata ortam, 4) arthriticam, 5) scrophulosam, 6) obstipatione et obstructione viscerum abdominalium produciam, et 7) e castratione et onania proficiscentem. — Sed duas praecipue res Portal non satis respexit, quod eum errasse satis demonstrat. — 1) Systematis ossium vitia prae ceteris in rhachitide considerans, non totum morbi ambitum, comprehendit; itaque etiam ossium morbos, ut multae observationes ab ipso prolatae probant, syphilide, scrophulis, exanthematibus, arthritide etc. productos, si aliqua ex parte mollitiei convenerunt et spina dorsii affecta reperiebatur, rhachitidi aenumeravit. — Omnes enim in morbi, ut facile percipi potest ossium affectionem efficere possunt, mollitiei quodammodo similem; haec autem pro morbo insequenti aut symptomate morborum cachecticorum habenda, et ideo probe est distinguenda a vera rhachitide, quae non nisi multorum aliorum momentorum concursu constituitur, neque vero sola mollitiei. — Ceterum ipsa ossium mollities et in aliis nominatorum morborum non eadem est; in his enim nunquam tam late vagatur, sed singulos tantummodo parvos locos ut vertebrae aliquam, vel articulum afficit, saepius citiusque cum carne conjungitur, neque unquam tam perfecta est, ut ita dicam, sed fragilitatis magis speciem prae se fert. — 2) Deinde auctor noster in eo peccavit quod

71) L. c. pag. 140.

peculiarem causarum nexum, quo rachitis cum his morbis juncta esse potest, non recte percepit, qui quidem in eo constat, quod turbata parvulorum his morbis affectorum constitutione, rachitidis ortus adjuvatur, non autem, ut Portalio placet, proxima ejus causa iis continetur.

Rhachitis scrophulosa, ut Portalii fert opinio, simillima est syphiliticae et crebro reperitur. — Portalis ipse autem negare non potest, exempla sibi esse oblata, in quibus rhachitis praecesserat scrophulas; cui argumento contra suam opinionem repugnanti, ita occurrit, ut vitium scrophulosum absque tumescencia glandularum adesse posse, censeat. — Scrophulis nullam esse cum syphilde cognationem inter omnes constat; quam parum autem sententiae scrophulis rachitidis causam contineri, adstipulandum sit, infra videbimus. — Porro Portalis de alio quodam rachitidis genere disserit, intestinorum et praecipue hepatis obstructione orto, cujus descriptio proxime accedit ad eam, quam supra (§. 4.) posuimus. — Videtur igitur auctor, omnia totius morbi decursus observatione, symptoma pro causa habuisse.

§. 13.

Multas porro opiniones complectuntur sequentium auctorum theoriae, breviter tantum ab ipsis expositas, neque argumentis sufficientibus probatas. — Attamen illae, quae supra exposuimus adeo praefereandae sunt,

quod emendatiori doctrina de nutritione corporis nituntur. — Animum autem praecipue in systema reproductivum intendentes, ex debilitate illius oriri hunc morbum putabant. — Talem sententiam proposuit Cullen (72): proximam, contendens, causam in pravo humorum statu, cum ossium materiae penuria positam esse, hunc autem debilitate et laxitate organorum, quae digestionis et assimilationis inserviunt, niti; deinde etiamsi, inquit, nonnullae conjecturae de remotis materiae osseae penuriae causis, adduci possint, minime tamen sufficiunt, atque res postremum semper ad debilitatem et laxitatem redit. — Consentit ei Dreyzig (73). — Similem propemodum sententiam affert Weikard (74), Brunonis sectator: „Es ist bei der „Rachitis, eine Schwäche, welche vorzüglich in den „Dauungswerkzeugen, Drüsen, Gefäßen und Organen, welche zur Ausarbeitung des Nahrungs- und „Knochenstoffes gehören, ihren Sitz hat, vorhanden; „woraus die nächste Ursache, ein Mangel an Nahrung der Knochen, hervorgeht.“ — Ita etiam Jahn (75) breviter morbum explicat: „die nächste Ursache der

72) L. c. pag. 178.

73) Handbuch der Pathologie. 3. Theil. pag. 17.

74) Medicinisches praktisches Handbuch. 1. Theil. pag. 243.

75) Neues System der Kinderkrankheiten. Rudolstadt 1807. pag. 594.

„Rachitis ist eine Schwäche im Gehirn, und Ver-
 „schrumpfung, aber neben derselben muß eine Schwäche
 „im Knochenstamm vorhanden seyn.“

§. 14.

Quodsi has theorias accuratius inquirimus et
 examinamus, nil profecto iis explicari intelligimus. —
 Permulti enim diversique morbi, laxitate et debilitate
 organorum digestionis et assimilationis producuntur,
 et si ossea ossibus structura deest, causam, materiae
 osseae penuria in humoribus, quae ejus parationi in-
 serviunt, constitui, dicere, haud difficilis est morbi
 explicandi methodus. — Sed num morbus ita vere ex-
 plicetur? num omnes ita rachitidis proprietates il-
 lustrentur? nonne verba isthaec sunt? Qua ratione
 digestionis perturbationes referantur ad morbum, ex
 iis quae §. 10 atque §. 13 posuimus, percipi potest.
 — Quod autem ad systematis lymphatici affectionem
 in rachitide pertinet, nullo modo argumenta idonea
 afferri possunt, quibus, in ea potissimum morbi se-
 dem, proximamque morbi causam quaerendam esse,
 probetur. — Rachitidis symptomata alio modo se
 habere, et distinctius, ut e. c. in scrophulis, illius
 systematis affectionem indicare necesse esset; sed ea
 non praecedere, jam supra crebro a nobis est commemo-
 ratum, atque adeo post mortem saepe systema
 lymphaticum non mutatum inventum esse, multorum
 auctorum observationes docent. — Hanc ipsam in me-

enterii conditione varietatem jam Glisson 76) obser-
 vavit; talia profert exempla Cammerarius 77) etiam
 Trnka de Krzowitz 78), Montfalcon 79), Boyer 80)
 alii. — Nequaquam autem systema lymphaticum af-
 fectum esse prorsus negare in animo est, sed praeci-
 quam rachitidis sedem, causam morbi sufficientem
 in eo positam esse non concedo, et vitiosam ejus
 conditionem debili aliorum systematum statui ante
 rachitidis ortum parem esse, postea vero, morbo jam
 exorto, cum aliis corporis partibus mutari arbitror.

§. 15.

Scrophularum et rachitidis similitudine, an hanc
 perducti sunt opinionem medici; cum enim in illis
 affectio systematis nominati facile appareret, huic ean-
 dem subesse causam conabant. — Jam veteres e. c.
 Tottelmann, Fabré, Diel, Kaempfer 81) propinquitatem
 earum stauerunt. — Cortum 82) diversitatem morbo-
 rum concedens, analogiam tantummodo symptomatum
 probasse, satis habuit, et alii etiam scriptores Franco-

76) L. c. pag. 12.

77) Acta natura. curioso. etc. V. I. ob. 53 seqq.

78) L. c. pag. 53 seqq.

79) Dictionaire d. s. m. pag. 597.

80) Traité des maladies chirurgicales. III. pag. 617.

81) Cortum de vito scrophuloso. Tom. I. pag. 239.

82) Id. pag. 240.

Gallici e. c. Pajol 83) et Richerand 84) eam phaenomenon esse putant, quod scrophulae insequatur. — Sed horum sententia jam iis, quae de systematis lymphatici affectione diximus, satis refutatur. — Hofeland 85) rhachitidem creberrimam vitii scrophulosis formam esse, contendit. — Ab hoc morbus scrophulosis ossium nominatur et singularem ejus indolem hoc modo explicat, 1) est affectio ossium quae ex eo oritur, quod scrophulosa diathesis ad ossa tantum tendit et systema lymphaticum non afficit, 2) adest humorum quaedam acritudo, de acido phosphorico libero procreata, quae ossibus damnum affert. — Rhachitidem autem nil nisi scrophularum formam esse, partim causis earum aequalibus, partim glandularum tumescencia nonnunquam antecedente, probari credit. — Quod ad ossium affectionis explicationem attinet, haec jam eo refutatur, quod diathesis scrophulosa ad ossa tendens absque systematis lymphatici affectione existere non potest, cum illa, ut auctori ipsi videtur, systematis tantummodo lymphatici immutatione producat. — Illud autem de acrimonia humorum, mera

83) Dictionaire d. s. m. pag. 596.

84) Nosographie chirurgicale. Tom. III. Ed. 4. pag. 148.

85) Ueber die Natur, Erkenntniß und Heilart der Strophelkrankheit. 3. Ausg. Berlin 1819. pag. 105.

conjectura est, §. 11. §. 13. — Nec meliora sunt argumenta, quibus ad scrophulosam rhachitidis originem demonstrandam utitur; similes enim causae remotae non unum semper morbum procreant, praesertim si conditiones sub quibus in corpus agunt diversae sunt, atque vel ex eo, quod glandularum affectiones nonnunquam tantum apparent, eas ad morbum producendum non utique necessarias esse efficitur. — Rectius judicat Boyer 86), si rhachitidis causam scrophulas esse contendatur, antea probandum esse, quod nemo adhuc probavit, hanc ossium mutationem etiam praecipuum scrophularum symptoma esse. — Duo praecipue communia phaenomena sunt rhachitidi cum scrophulis 1) quod evolvendae infantilis aetatis morbis adnumerandae sunt, cum nonnisi hac turbata orientur; sed nec evolutiones eadem turbatae, neque eadem perturbationis ratio, 2) quod anomaliae et nutritionis et formationis speciem prae se ferunt, quae tamen ipsae non ejusdem sunt generis. — Anomaliam in rhachitide evolutionem, quam paucis tantummodo verbis supra innuimus, posthac accuratius exponemus. — Scrophularum autem malum in eo versatur, quod turbata systematis lymphatici et glandulosi evolutione et formatione, normalis et assimilationis et sanguificationis

86) L. c. pag. 617.

mutatio, cum aetatis progressu conjuncta, impeditur, et tota inde corporis parvulorum nutritio et formatio turbatur. — Ad hanc adducti sumus sententiam, 1) tempore quo morbus apparet, quum secundo aetatis anno, postquam dentes jam eruperunt etiam in his organis magna incipiat evolutio. — 2) Symptomatibus ipsis; observationibus nempe edocti sumus, primariam scrophularum sedem hoc in systemate quaerendam esse, neque solam glandularum obstructionem debilitate productam adesse, sed etiam structuram et texturam earum abnormi processu vegetativo mutatas et glandulas quod ad molem attinet auctas esse. — Quare nutritio in reliquis corporis partibus aequabiliter turbata, atque mutatio corporis magis ab externis ad internas partes proficiscens cernitur. — 3) Tempore quo evanescit morbus, quod, vel in dentium commutatione, vel saepius pubertate incipiente, evenit. — Nihilominus huic de systematis lymphatici in rachitide affectione sententiae, nostra adhuc aetate multi celebriorum medicorum accesserunt, ut aliae, quas infra enumerabimus, theoriae satis monstrabunt.

§. 16.

Isti hypothese de debilitate vasorum lymphaticorum et glandularum opposita est ea, quam professi

sunt Heine 87) et Soemmering 88), probata illa a Wollfio 89) et Gortanaro 90). ex qua, proxima rachitidis causa in vasorum lymphaticorum nimis aucta activitate ponitur. Quod placitum confirmari existimant 1) resorptionis functione ad lymphatica eodemmodo vasa pertinente, 2) vasorum lymphaticorum irritabilitate, quae in parenchyma praevaleat et ex fibris muscularibus, quae solent in vasis istis reperiantur, pendeat. 3) experimentis de rubia tinctorum a Duhamelio factis, quibus demonstratur terrenas quoque partes resorberi, cum materia colorans rubiae tinctorum in terrenis ejus partibus insit. — Ex his argumentis morbum ita explicant: cum substantia ossium calcarea a vasis lymphaticis normali stam resorbentur, et pro hac sanguifera vasa novam secretant materiam, efficacia resorbentium vasorum nimis aucta, plus resorberi, quam secretari, quare ossa, magna solidarum partium copia ademta, molliora fiant; quod, aetate infantili ossibus adhuc crescentibus, eo faci-

87) De vasorum absorbentium ad rachitidem procreandam potentia. Goett. 1792.

88) De morbis vasorum absorbentium. Francof. ad M. 1795.

89) Argentindiae Abhandlungen über den Nutzen der Wasser- und Lymphgefäße. 1795.

90) Abhandlung über die Krankheiten der Kinder. Berlin 1791. pag. 395 — 411.

lius fieri possit. — Magis etiam sententiam suam confirmari putabant similitudine inter rh. chitidem et scrophulas, deinde observatione Callisenu, qui vasa lymphatica majora et extensa se reperisse nar- rat; tum sectione cadaveris a Fries commemorata, ubi concrementa terrea in vasis lymphaticis reperta sunt — Quae theoria tantummodo ad ossium substantiae deminutionem et corporis maciem explicandam condita esse videtur et quidem systematis gratia, cui tunc temporis omnium morborum causas adtribuere volebant, neque accurata atque subtili totius morbi contemplatione nititur. — Argumenta ad eam probandam ab auctoribus prolata nihil aliud docent, nisi ossa hoc modo molliiri posse, morbum vero ipsum re vera ita oriri non docent cum nec ejus symptomatibus nec causis nec denique medendi rationi optima conveniat illa theoria. — Evanescent calcarea ossium terra et macies hanc sententiam non probant, quoniam haec vitia, nutritione et formatione partium turbata, aliter et naturae magis convenienter explicari possunt. — Illud autem, ossium substantiam ipsam lymphaticis vasis resorberi, cum, quomodo sano statu omnium partium disturbatio fiat, parum cognoverimus, maxime adhuc dubium est, nec dum experimentis Duhameli satis exploratum. — Ceterum, magna profecto calcareae materiae copia in vasis lymphaticis, ut perpetuum symptoma,

nobis reperienda esset, quod quidem experientiae repugnat; nam lymphatica vasa tantam calcareae terrae copiam, quam secundum hanc theoriam resorberi necesse esset, lymphae assimilare, hoc ne cogitari quidem potest. — Sectio cadaveris quam commemorat Fries, cum morbus ambiguus esset, nullus est momenti et dilatio vasorum lymphaticorum istam sententiam infirmat potius, quam affirmat.

§. 17.

Opinio de pravo in ossibus processu varie multiplicata et mutata est, simul cum novis observationibus Chemicorum et Physiologorum, qui, cum ex una tantummodo parte morbi rationem habuerint, ad eum explicandum parum tantummodo contulerunt. — Sic Renard 91) processus ossium vegetativis causam in periosteo quaerens, mollietatem ossium et perturbata periostei functione, quae nutritione anomala producta sit, nasci existimat, sanguinem itaque in periosteo commemorantem non satis praeparari posse et nimiam acidi phosphorici, exiguam vero, si cum illo comparatur, terrae calcareae vel justo minorem utriusque materiae copiam proferri. — Duplicem igitur processus abnormis esse rationem vel

91) Versuch die Entstehung und Ernährung des Wachsthum und alle übrigen Merkmale:gen der Knochen im gesunden und kranken Zustande zu erklären. Leipzig 1803. p. 79 seqq.

1) periosteo ossibus nimis multum acidi phosphorici praesente, calcem phosphoricam minus dissolvi et ossa molliora; vel 2) deesse sanguini necessariam materiam, et periosteum non bene munere suo fungi, quo impediatur, quominus calx phosphorica amissa reparari possit. — Sententiam suam de duplici morbi origine, magis etiam eo firmari censet, quod alii ut Jaeger 92) in ossibus parvulorum rhachitide affectorum acidum phosphoricum auctum, alii ut Akermann 93) nullum omnino repererunt. — Eodem modo explicat defectum acidi phosphorici in urina, quem ipse observavit, aut ex illius nimis aucta in ossibus secretionem, vel e subiecta eiusdem in sanguine praeparatione. — Periosteum inflatum, spongiosum, tumidum et laxum fieri ex multorum auctorum observationibus demonstrat et magna ferri intus adhibiti, quod eodem modo agere putat, utilitate, opinionem suam admodum firmari arbitratur. — Quae explicatio, quoniam non ad totum morbum sed tantum ad vitia systematis ossium spectat sufficere non potest, atque vel eo, quod duas affectiones, sibi contrarias e vitis sanguinis et periostei ortis, morbi causam esse contendat, dubia et suspecta redditur. —

92) Diss. acidum phosphoricum tanquam morborum quorundam causam proponens 1793.

93) Commentatio medica de rhachitide. 1794. cap. VII.

Inde enim sequitur, quae in sanguine et periosteo contingunt mutationes diversas esse; tantamen iisdem causis, sub iisdem conditionibus produci, eodemque modo sanari contendit. — De diversa autem ossium affectione, quam chemica analysi apparuisse tradit, vel dubitamus, vel certe fortuitis momentis hanc diversitatem imputamus, praesertim cum recentiores e. c. Bostock et Davy 94) tam diversam ossium affectionem non deprehenderint. — At functionem periostei ad nutrienda ossa necessariam, ejusque affectionem in hoc morbo idoneis argumentis demonstravit, sed plus quam debebat huic organo tribuit. Ex hujus theoriae expositione egregie igitur confirmatur, in definiendis abnormibus mutationibus semper ad generalia tantum vitia partium et solidarum et fluidarum, quae nutritioni inserviunt, reverti. — Aliae sequuntur theoriae, quarum auctores iidem solis ossium mutationibus explicandis operam navarunt 95). — Argumenta eorum nituntur in mutua systematis uropoetici et ossium efficientia et in eo, quod urina infantis, eo tempore quo ossa praecipue excoluntur, nihil acidi phosphorici et calcis phos-

94) Handbuch der pathologischen Anatomie, von Meckel. 2. Theil. 2. Abtheilung, pag. 8.

95) Vid. Richter's specielle Therapie. Band IV. et Henke's Kinderkrankheiten. Band II. p. 244.

phoricae contineat 96), rhachiticorum vero infan-
tium urina, tunc utraque materia impleta sit (Four-
croy 97). — Ex his argumentis ita de rhachitidi
natura iudicabant: ut eam, vel depositione terrae cal-
careae phosphoricae in ossibus impedita, ad vesican-
urinarum migrare, vel deposita calce phosphorica
nicis resorberi, deinde depoueri existimarent. — Han-
theoriam parum idoneam esse, facile intelligitur, im-
primis autem illi obstat incerta observationum de
terra calcarea phosphorica in rhachiticorum urina
fides, quam Monralcon 98) et etiam Renardi v. §. 17
et Leidenforstii v. §. 2 observationes demonstrant. —
Opinionem, quae acidum phosphoricum causam morbi
esse statuit, etiam Jaeger 99), Fourcroy 100) et
Fleisch 101) adsentiant, atque Henkio 102) ea explica-
tio et expositio doctrinae veterum de acrimonia acida
esse videtur. — Nobis autem, nisi certiora exstant

96) Pohl Diss. de embryochemia, Erlang. 1802. p.
46.

97) Dictionaire d. s. m. l. c. pag. 573.

98) Ibid.

99) L. c.

100) Memoires d. l. soc. royale d. Med. an. 1782.
pag. 497.

101) Handbuch über die Krankheiten der Kinder.
Band 2. Leipzig 1807. pag. 459.

102) Handbuch zur Erkenntnis und Heilung der Kin-
derkrankheiten. 2. Band. 1818. pag. 245.

argumenta, haec theoria etiam hypothetica, sed prin-
cipis tantummodo nostrae Chemiae et physiologiae
magis accommodata videtur.

§. 18.

Theoriae recentioris temporis, cum iis quas enu-
meravimus in nonnullis rebus congruentes, saepissi-
me e multis earum compositae sunt. — Sprengel 103)
hunc morbum nutritionis vitis, quae in ossibus, ut-
pote partibus imprimis nutriendis, conspiciantur, ad-
scribit, vasis resorbentibus auctam vim tribuens,
qua potissimum ossa corrumpantur. — Boer 104)
ita rem explicat: in rhachitide systema glandularum
primitus afficit, reliqua symptomata secundaria esse; —
mollitiem ossium eodem modo quo Soummering inter-
pretatur. — Hecker 105) abnormem nutritionem et for-
mationem ossium adeo mutatam ut solidae partes desint,
pro morbi proxima causa habuit. — Richter 106) dicit:
„das Wesen der Rhachitis besteht in einer den Ectro-
pheln ähnlichen Atonie und fehlerhaften Vegetation
des Lymphgefäßsystems, die sich hier vorzugsweise in
den Knochen ausdrückt und eine fehlerhafte Ernäh-

103) Handbuch der Pathologie. 3. Theil. pag. 524.

104) Versuch einer Darstellung des kindlichen Or-
ganismus etc. Wien 1813 p. 43.

105) Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen.
2. Band. 1818 p. 559.

106) L. c. pag. 686.

runge und manachhafte Ausbildung derselben bedinet.“
 — Haase 107) morbum explicari potest momento
 quosdam dynamico et chemico: illud vasorum lym-
 phaticorum statum scrophulosum esse, quo vitatur
 nutritio, hoc e nimia acidi phosphorici secretione et
 calce nimis soluta pendere. — Rhachitidem itaque
 pro morbo scrophuloso summum fastigium assecuto,
 habet — Conradi 108) opinionem de vitio quodam
 in ossium formatione probans, terram calcaream
 phosphoricam nimis resorberi, gelatinam et albumen
 remanere censet. — Boyer 109) dicit: „Lorsqu'on
 réfléchit attentivement aux résultats de l'observation
 relativement au rhachitis, on ne peut guère se refu-
 ser à croire que cette maladie est produite par une
 cause propre, inconnue, agissant sur toute la consti-
 tution, et donc le ramollissement des os n'est qu'un
 symptôme.“ — Novam et peculiariter profert senten-
 tiam Kraysig 110) dicens: „Wollte am Ende eine an-
 angeborene Unvollkommenheit des Hirns, dasselbe von
 der Seite angenommen, als es der Vegetation dient, das
 ursprüngliche Causalmoment dieses Nebels enthalten?“

107) Ueber die Erkenntniß und Cur der chronischen
 Krankheiten. 3. Band. pag. 429 — 20.

108) Grundriß der Pathologie und Therapie. 1816.
 II. Band. pag. 451.

109) L. c. p. 619.

110) L. c. 2. Band. pag. 524.

Quamvis vir celeberrimus, cerebri affectionem, prae-
 cipue in hoc morbo respiciendam esse docens, mul-
 tum ad explicandum morbum contulerit, tamen eam
 semper ingeneratam esse, concedere non possumus.

§. 19

Priori tempore doctrina de organismi humani
 evolutione, vel prorsus neglecta jacuit, vel falsae tan-
 tum de singulis ejus periodis existerunt sententiae,
 quod, ut hoc exemplo utar, ex magna de dentitione
 controversia, facile intelligitur. — Quare haec doctri-
 na ad cognoscendam morborum, hunc aetati proprio-
 rum, originem et finem vel omnino non, vel minus
 recte a medicis accommodata est. — Nostra demum
 aetate, doctrina de corporis humani evolutione phy-
 siologorum opera et studio ex tenebris suscitata est
 et magnum inde cepit commodum et fructum patho-
 logia. — Cum turbata corporis evolutione arte con-
 junctam esse rhachitidem, primus dilucide monstravit
 Malfatti 111) cujus egregia sunt in hac disquisitione
 merita, sed tantum in hac, cum ipsa morbi definitio
 et expositio multis hypotheticis innatur principis et
 argumentis. — In libro suo, Troxlerianus 112) tan-
 da o principis, notiones sola mente perceptis, ad
 phaenomena, quae observationi obvenerunt, accomo-

111) L. c. pag. 39 — 67.

112) Elemente der Biologie. Leipzig 1807.

dare conatus est. — Sed cum huic dualisticae theoriae de dynamismo et organismo, quos vocant, etiam morbos aptare voluerit, in constituenda eorum natura ipsa fieri non potuit, quin a natura ipsa discederet. — Ita dicit: „die Rhachitis ist eine nothwendige Form des abnorm überwiegenden vegetativen Prozesses im Kinde, und ihr Wesen besteht nur in der Beibehaltung einer Art Fetuslebens in der Kindheit“; cui scrophulas opponit et sic explicat: „die Scropheln charakterisiren sich als eine Form des abnorm überwiegenden animalischen Prozesses im Kinde, als eine zu frühe Jugend.“ — Quamquam vocabulis vegetations et animalisationis alias non usitatis et latiores notiones indicat, tamen haec morbi expositio nobis satisfacere non potest, praesertim cum, ad horum morborum oppositionem probandam, multa argumenta, quae experientiae adversantur, protulerit. — Sed subtilius hujus theoriae examen, ne extra fines libelli nostri egredieremur, praetermittere et ad alios libros 113). quibus censura istius theoriae continetur, LL. BB. delegare placuit.

113) Ueber Entwicklung und Entwicklungskrankheiten, von D. J. Senke. 1814. par. 83—105. — Medicinisch-chirurgische Zeitung. 2. Bd. 1809. N. 46 — Diss. de morbi ortu atque natura auct. Ringseis. 1812. p. 13 seq.

§. 20.

Ea, quae adhuc narravimus, respicientes morbi originem explicare tentabimus.

Primo corporis status, rhachitidi antecedens considerandus est. — Haec autem consideratio non solum, quomodo res nocentes supra nominatae, ad morbum ipsum producendum conferant, sed etiam, quare inenite infantili aetate potissimum appareat, docebit. — Si enim parvuli organismus, a partu ipso, compluribus afficitur rebus noxiis, tenuis, debilis et sensibilis corporis conditio necessario inde evadit, quod eo magis accidit, quo exultior fuit proclivitas. — Nonnunquam alii morbi e. c. convulsiones, exanthemata chronica, digestionis vitia etc. his momentis causalibus producuntur, et rhachitidi antecedunt, qui autem nullo modo ad rhachitidem ipsam pertinent, neque pro ejus symptomatibus habendi sunt, sed tantum, quod debilem illam corporis conditionem augent, ad morbum procreandum conferunt. — In aliis autem parvulis, ejusmodi perturbationes non accidunt, sed corpus quamvis rebus nocentibus imbutum, tamen quandam valetudinis speciem retinet. — Neque tamen ideo corpus sanum et incoluine habendum est, sed systematibus corporis omnibus affectis, quia nullum prae ceteris laborat systema et omnia muneribus suis, at minus apte, funguntur, harmonia quaedam adhuc remanet, neque ullus morbus effici-

tur. — Lactentis autem ita affecti corpus non rite praeparatur ad sequentem evolutionis periodum, quae a dentitione incipit et dentium mutandorum tempore desinit. — Primum enim eo modo haec periodus saepissime retardatur, deinde decursus ejus et evolutiones cum eo conjunctae turbantur, unde morbus existit. — Hoc accidit, cum corpus eo modo affectum, quod ad partium et solidarum et fluidarum vires atque materiam, quorum alterum ex altero pendet, adinet, formationis muneri huic aetati convenienti satisfacere non possit; — porro autem, cum illa conditione facile dispari ratione corpus excolatur, quia singulis corporis partibus vires desunt, quibus invicem se coërcant, quod ad aequabilitatem in corpore servandam necessarium est; si igitur secundum naturae leges certo quodam tempore in una corporis parte formanda, plus virium consumitur, haec facile nimis aucta aequabilitatem amplius servare non potest, et ita aliarum partium formationem impedit. — Tali evolutionis perturbatione etiam rhachitidem producti credimus.

Jam exponendum est, quibus potissimum rationibus adducti, rhachitidem evolutionis morbis adnumerandam esse censeamus. — 1) *Experientia docet, morbum a sexto aetatis mense usque ad secundum annum, itaque eo aetatis tempore, quo praecipuas corporis evolutiones contingere necesse est, plerum-*

que apparere. — Nonnunquam autem ista periodo, cum causa supra nominata adest, serius incipente, morbus etiam serius oritur. — 2) Ex morbi phaenomenis hoc elucet, quae nominis turbationibus partium, praecipue evolvendarum, adnumeranda sunt, quod ex comparatione eorum facile intelbitur. — Ita res se habet in cerebrali systemate et functionibus cum eo conjunctis, ita in ossibus et in irritabili systemate, praecipue in musculis, ita in hepate ita denique in toto assimilationis processu. — 3) Tempore quo morbus cedit, quod septimo aetatis anno fieri solet, hoc probatur. — Evolutionis enim morborum natura ex hoc potissimum cognosci potest, quod turbationes periodi antecedentis, sequente tolluntur. — Itaque praecipua istorum morborum proprietas in rhachitide quoque apparet, quippe quae nullo modo restituenda ea, quae ratio morbi luit, corporis conditione, sanetur, sed tantum continua organismi evolutione (etque immutatione,

§. 21.

Quaeritur nunc, cujusmodi sit aenemila in rhachitide evolutio? — Et haec praecipue systema cerebrale, in quo aucta materiae nervae formatio nobis se offert, ut morbi definitio supra proposita jam indicat, respiciendum esse videtur. — Haec quidem ad efficitur, ut illi turbata evolutio, rhachitidis formam assumat; et ejus tantum auxilio, ut alia rhachitidis

phaenomena ita praecipue ossium vitia recte expli-
cantur. — Systema cerebrale, in anomala hujus pe-
riodi evolutione turbari necesse esse, jam ex hujus
organi, qualis tunc temporis est, conditione intelli-
gitur. Namque cerebri evolutionem, maximi illo tem-
poris esse momenti, constat et a multis scriptori-
bus 114) satis probatum est. — Mutationes organi,
quae ex naturae legibus contingere debent, relativam
substantiae cerebrales imminutionem producant, qua
quidem aequilibras inter capitis aliarumque partium,
quae incrementum capiunt, magnitudinem efficitur. —
Cerebrum magis colligitur, rigiditas ejus et substan-
tiae medullaris copia et simpliciter et cum aliis com-
paratae, augentur, singulae ejus partes magis conformantur. — Quod quidem ex cultiori sensuum functione,
quae sensim sensimque apparet, et praecipue pri-
mis animi facultatum signis probatur, nec minus
ipsa mutata capitis forma, cum frons in latitudinem
crescat et prominentia, quae in media fronte recens
natorum conspicua est, evanescat. — Hanc organi
evolutionis perversionem maximi momenti esse posse,
ita ut variae inde nascentur turbationes, res est ma-

114) Henke's Kinderkrankheiten. 1. Bd. pag. 283. —
id. Ueber Entwicklung etc. pag. 108. — Boer 1.
c. pag. 48—50. — Lucae Grundriß der Ent-
wicklungsgeichte des menschlichen Körpers.
1819. pag. 135 und 170 etc.

nifesta, atque multos dentitioni difficili adscriptos
morbos inde derivandos esse constat. — Eodem ar-
gumento etiam, observatio antiquitus tradita, morbos
in infantili aetate praecipue ad caput tendere nititur.
— Plerumque autem hae cerebri sese evolventis tur-
bationes facile cessant, sanitasque cito restituitur.
Sed longe alia est anomala cerebri evolutio in rha-
chitide, qua tota hujus organi formatio mutatur et
quae longiore diuina et validiore momentorum no-
centium in corpus impulsu efficitur. — Nascitur, si
ille evolutionis processus in systemate cerebrale con-
tra normam augetur, quod, ut supra monuimus, de-
bilitate singularum corporis partium fieri solet, ita
ut invicem se cohibere non possint atque ideo for-
matio in cerebro, quo natura prae ceteris tendere
solet, aequali aliarum partium formatione non coer-
ceatur. — Qui quidem auctus evolutionis processus,
quod naturam ejus attinet, congruit cum statu cor-
poris supra nominato, qui formationibus secundum
naturae leges parandis, non perfecte sufficere potest,
— qua de causa ille, magis ad molem augendam,
quam ad qualitatem matandam tendit et ita praema-
turam imperfectamque singularum partium evolutio-
nem efficit. — Non minus proclivitas ad rachitidem,
ex utraque opinionum § 9 commemoratarum
considerata, nostram confirmat sententiam. — Cui-
denique et symptomate respondent, quae, cerebrales

systematis affectionem adesse, manifesto demonstrant. — Haec igitur accuratius contemplanda sunt. — Prima quae apparent symptomata turbant totum systematis nervorum adnumeranda sunt. — Moeor tristitia, tedium oblectationum et iocum, modo excitata totius corporis conditio, modo ad somnum et quietem propensio quae per vices sibi succedunt, morbum indicant. — Capitis magnitudo sensum sensisque incrementis auctur, quod et veteres (115) et nostri aetatis (116) medici, ad modum omnes observarunt. — Quod autem cerebri affectus, a nonnullis medicis primis symptomatibus non adnumerata est, observationibus parum accuratis adscribendum est, cum, partim ob cerebri fabricam et situm occulta esse possit, partim, quoniam caput parvulorum vel tenuissimorum magnum est, non statim percipiatur, et postea demum in conspectum veniat. — Nec non motus faciei lineamentis, ut supra diximus, cerebri

115) Glisson l. c. cap. II. pag. 10. — Mayow, l. c. — Fr. Hoffmann l. c. § 2 et 3. — Boerhave l. c. §. 1484. — Switen l. c. p. 594. — Storch l. c. pag. etc.

116) P. Frank l. c. pag. 256. — Hente's *Unterforschheit*. 2. Band. pag. 256. — Treka de Kezowitz l. c. pag. 32. — Dictionaire d. s. med. Tom. 46. p. 574. — Boyer, l. c. pag. 619. — Kreysig, l. c. 2. Band. pag. 522. — Conrad, l. c. 2. Theil. 2. Band. pag. 417.

affectio notatur. — Convenit porro cum cerebri magnitudine, et nimis sanguinis ad caput affluxus, et praecipua vasorum caput petentium et inde sanguinem reducentium evolutio et magnitudo. — Nec minus eo praematura animi facultatum et sensuum evolutio referenda esse videtur, quae functiones non energiae, sed excitationis tantum notam prae se ferunt, et cito si morbus non tollitur, organo non rite constituto, per se ipsae delentur. — Itaque in rhaichide saepissime nimia animi facultatum excitatio in stupiditatem, et sensuum in debilitatem vel paralyin transit. — Excitationem nonnunquam non adfuisse, quod tamen rarissime observatum est, sed tantum stupiditatem, nequaquam nostrae sententiae repugnat, quia, si cum stupiditate, primo aetatis tempore intret morbus, excitatio propter teneram parvuli aetatem, difficulter animadvertatur et mox a stupiditate superetur. — Hinc patet, quomodo nonnullorum scriptorum de hac re sententiae tantopere discrepare potuerint. — Ita Buchner 117) dicit: „Ego saltem plures stupidos rhaichiticos, quam facultatibus animalibus valentes hactenus vidi. — Etsi hos quoque viderim.“ — Cui multi alii viri docti ex c. Glisson, Boerhave, Switen, Storch, Cappel, Frank, Boyer, Moutalcon, Kreysig 118), alii apponi possunt.

117) l. c. pag. 265.

118) V. Lib. cita. om.

Nec non medulla spinalis afficitur, unde dolor, morbi initio cum corporis motibus conjunctus et paralysis extremitatum superiorum et inferiorum, quae postea nonnunquam apparet, deducenda est. — Quam affectionem cum urinae et alvi excretionem involuntaria nonnunquam conjunctam, vulgo a compressionem medullae spinalis, spinae dorsi curvationibus producta, dependere credebant. — At simplicissima observatione haec opinio confutatur; morbo nimium, naturae medicatricis vel artis ope finito, phaenomena nominata quae aderant evanescent, curvationes remanent. — Quodsi igitur columnae vertebralis distortio symptomatum causa esset, haec evanescere non possent. — Itaque aliam adesse causam oportet, eamque, ut mihi quidem videtur, medullae spinalis ipsius affectione plerumque effectam. — Morbos convulsivos ex perturbatione totius systematis cerebri profectos cum rhachitide sociari, permultis observationibus 119) edocti sumus. — Si denique ad convulsiones vel ad statum paralyticum, quibus vitae rhachiticorum saepissime finis imponitur respicias, non solum symptomatica, sed etiam mortis genus e systematis cerebri affectione proficisci, apparet. — Magni praetera sunt momenti cadaverum sectiones,

119) Buchener. l. c. — P. Frank. l. c. p. 256 — Storch. Observat. chin. ann. 5 Dec. Cl. 3. p. 262. ann. 6 Mart. Cl. 3. p. 465 alii.

quibus multo major probandi vis tribui posset, si saepius et accuratius institutae essent. — Copiam cerebri auctam esse, omnes narrant scriptores 120) alii auctam, sed qualitatem ejus non mutatam 121), alii, et quidem major scriptorum pars, cerebrum mollius esse 122) contendunt. — Plattner 123) non solum cerebrum, sed etiam medullam spinalem emollitam laxam et auctam invenit. — Paucae tantum et leves exstant observationes, et in recentiorum et in veterum scriptorum libris, de abnormi medullae spinalis statu in diversis columnae vertebralis morbis, de quo jam Frank 124) conquestus est; — multo minus exploratus est status ejus in rhachitide, cui ejusmodi exploratione multum lucis adferri posse credo. — Aquae serosae colluvies vel inter membranas cerebri et cerebrum ipsum vel in ventriculis ejus saepissime, ut Glisson 125) jam monet, apud rhachiticos inven-

120) V. sup. s. N. 15 et 16.

121) Diction. l. c. p. 579. — Kreysig l. c. p. 523. — Boyer l. c. p. 563.

122) V. sup. s. N. 15 et 16.

123) Opusc. T. 1. D. 4. §. 28. — V. Cappel l. c. pag. 42.

124) De vertebralis columnae in morbis dignitate. — Oratio acad. 1791. Paviae. — V. Züscherle: ne Abhandlungen zum Gebrauch für prakt. Ärzte. 23d. XV. Stück 2. p. 260.

125) L. c. cap. II. p. 15.

ta, semper sub finem morbi oritur, eique nonnunquam stupiditas, ut jam Switen 126) censet adscribenda est. — Hac autem sola nequaquam capitis moles augetur (Akermann 127 ; quae quidem sententia et ratione qua moles augetur et symptomatibus, nec minus eo, quod non semper hydrocephalum et nihilominus auctam capitis molem invenimus, revincitur. — Contra frequens rachitidis cum hydrocephalo complicatio, nostram confirmat sententiam, cum hic tantum ex abnormi partium, quae in cavo cerebri insunt, actione, nasci possit.

§. 22.

Cum igitur, ex anomala evolutione, rachitidis initium factum est, etiam aliae aliorum systematum mutationes rachitidi propriae, insequuntur. — Omnes autem, partim statu et functione systematum in infantili organismo, partim ratione qua ad systema cerebrale referuntur, explicari possunt. — Ita secundum systematum antagonismum, substantia nervosa praevalente, irritabilium organorum evolutio, quam reliquorum organorum evolutioni parem esse oportet, impeditur, quod ex musculorum laxitate, tenuitate, mala eorum nutritione et macie extremitatum, indidem orta, intelligitur. — Tali impeditae evolu-

126) L. c. p. 603.

167) Ueber die Kretinen. Götting 1790. p. 68.

tionem et hoc adnumerandum est, quod dentes vel tempore solito non erumpunt, vel justo citius excidunt. — Ita hepatis et nonnunquam lienis tumescencia, ad symptomati praecipua pertinens, consensu qui inter cerebrum et organa abdominalia intercedit et tam insigniter apparet, illustratur. — Tota corpora oeconomia perversa, digestio quoque at assimilatio jam antea debiles prorsus turbantur, unde voracitas, abnormis alvi excretio, atque tumescencia glandularum existit, quae nonnunquam cum morbo conjuncta est.

Ossium autem systematis affectio praecipue hac cerebralem systematis turbatione explicari potest, cujus in rachitide vis magis etiam ex efficaci et mutua utriusque systematis conjunctione elucet. — Cui imprimis anatomia comparativa lucem admittit et ex accuratiori ejus contemplatione intelligimus, non tantum peculiarem inter utrumque systema, quod ad eorum functionem et originem attinet, nexum intercedere sed etiam utrumque, cum in tota animalium serie, tum in singulis animantibus, quantum ad evolutionem, sibi opposita esse. — Ossium systema in animalium serie his tantum inest ordinibus, qui ex cultiori fabrica praediti sunt, atque semper primum, ut cerebri medullaeque spinalis tegumentum et muccamentum, se offert. — Inter utrumque igitur systema semper nexus exi-

stuit, et ubi prima tantum medullae spinalis adsunt vestigia, idem quoque in spina dorsi apparet. — Uti in fetu, ante reliquas nervorum systematis partes, cerebrum et medulla spinalis formantur, ita in ossium systemate capitis ossa et spina dorsi; quod igitur illae pro centralibus praecipuisque systematis partibus habentur, ita et his eundem locum in ossium systemate concedere debemus. — Quibus praemissis jam eo deducimur, ut, systematis ossium functionem, si tantum ad corpus sustinendum et ad motus faciliores reddendos ea adesse contendatur, ab una tantum parte spectari intelligamus, — ejusmodi enim functio etiam sceletio externo vel testis perfici posset, nec natura ab hoc formationis modo discessisset, nisi ossibus formandis alium consiliorum finem sibi proposuisset. — Systematis autem ossium functio, ut recentiores probare studuerunt scriptores 128), in eo consistit, quod partes centrales systematis nervorum et vasorum eo teguntur et muniuntur, quo quidem modo haec organa magis, quod ad eorum formationem et activitatem attinet, adjuvantur

128) E. Home Lectures on comparative anatomy. Lond. 1814. P. I. p. 73. — Blanville et Geoffroi in Bulletin de la société philomatique. 1817. V. Deutsches Archiv für die Physiologie; Ueber die ersten Spuren des Knochenstems etc., von D. Schulze. Halle 1819. p. 3.

et a musculis separantur. — Motuum levationem non primariam systematis ossium esse functionem intelligitur, si ambarum functionum laesiones, quod ad vitam servandam attinet, comparantur. — Nec minus arctissima horum systematum conjunctio ratione qua ambo ad duram matrem referuntur cernitur, cum hoc organon internam ossium calvariae faciem obducit et integumentum externum cerebri et medullae spinalis, atque ad externam capitis faciem transiens periosseum constituat. — Magis perspicua fit ista consociatio ambarum systematum, si evolutionem eorum in tota animalium serie respicimus et comparamus, ex qua comparatione regula profecta est, quam Rosenthal 129) proposuit: in animalium serie, cum relativa cerebri deminutione osseam sceleti substantiam in omnibus vel singulis partibus augeri, et versa vice cum illius auctione hanc imminui. — Attamen haec regula ad illas tantum animalium classes accommodanda est, in quibus ambo systemata exstant, quam si latius extendimus, periculum est ne in errores inducamur, ut ex iis quae supra de ambarum systematum origine attulimus percipi potest. — Variis exemplis ex piscium,

129) Ueber die Ursachen der verschiedenen Knochenanhäufung in den verschiedenen Thierorganisationen. — V. Keil's Archiv für die Physiologie. Band 10. Heft 2. Halle 1811.

amphibiorum, avium et mammalium classibus repetitis, haec probat sententiam Rosenthal. — Quod etiam in homine ipso cernitur, et quidem in statu ejus adulto, cum magna, si eum cum aliis animalibus comparaveris, adsit cerebri copia, ossea vero ejus substantia minoris sit momento; nec minus in evolutione et revolutione corporis, in illa enim cum relativa cerebri deminutione et condensatione ossea substantia augetur, in hac, cerebro marcescente, ossificatio in multis partibus e. c. in vasis saepissime apparet. — Si igitur doctrinam physiologicam de amborum systematum conjunctione ad eorum pathologiam accommodamus, eam in rhachitide quoque locum habere videmus, nec minus etiam in multis animi morbis, in quibus, statu sensorii communis et sensuum functionum afflicto atque cerebro parvo et sicco, auctam in calvaria osseam substantiam inveniri, multae probant sectiones 130). Cum autem causam mollitiei in ossibus rhachiticorum ostenderimus, quomodo illa ipsa procedat, nullo negotio demonstrari potest. — Si enim formatio nimia ad cerebrale tendit systema, ossibus materia ad nutritionem non sufficiens obtingat neces-

est; quare substantiae ad eorum evolutionem necessariae non formantur. — In omnium autem corporis partium normali statu dissolutio et formatio aqua quadam potentia et auctoritate inter se continentur; abnormi vero conditione, dum illa continuatur (neque enim habemus, cur eam cessare censeamus) haec interrupta et vitiosa est, totam a natura praescriptam partium formationem penitus turbari necesse est. — Atque ejusmodi in ossium systemate turbatio, in eorum mollitie conspicua est.

130) Morgagni de sedibus et causis morborum. ep. 61. n. 78. ep. 8. n. 12 — 18. — Foderé über den Kropf und Kretinismus, aus dem Französischen. Berlin 1790. p. 109.